

PETRI RAMI SCHOLA-  
RUM MATHEMATICARUM  
LIB. XIX. IN OCTAVUM  
elementorum.

**O**ctavus liber propositiones habet 27 : quarum decem spectant ad proportionem continuam, reliquæ ad numeros figuratos. *1<sup>æ</sup> & 2<sup>æ</sup> p 8* faciunt unam propositionem attributo reciprocam: Si cōtinui sint extremis primi, erunt minimi, & si minimi, primi: Causa itaque est e generali reciprocatōne 23 & 24 p 7. Nam si extremi sint primi, erunt etiam primi ad omnes. Itaque Theonis impossibile hic ineptum est in antecedente, conversio etiam ineptior præsertim per æquationē, complexio syllogistica demonstratur 2 p 8. Theorematicè proponi debuit, causamque suam manifestius ostenderet e 17 & 18 p 7. Item ex 11 p 5. denique e 29 p 7: unde etiam repetitur a Theone: justior verò demōstratio nulla adhuc fuit: Confectaria Theonis de figuratis quadratis & cubis e definitionibus suis hic patent.

*4 p 8* demonstrabilis illa quidem est, sed a Theone cogitur impossibili longo & obscuro.

*5 p 8* Eadem 23 p 6, tautologia sophistica est: demonstratur autem a Theone non obscure quidem admodum per 4 p 8. 10 d 5. 17 p 7. 11 p 5. 14 p 7: Campanus hic paulo brevior est per 17 p 7. & 10. d 5. Reprehendit autem Theonem quod cōtinuis minimis utatur. Hoc enim est (ait) proposito præter necessarium. Uterque autem rationibus alternorum laterum hic utitur in demonstrando, tamen si neuter ita propositionem instituit. Vacat tamen profus ista propositio, quia in solis magnitudinibus locū habere potest, in quibus 23 p 6 melius & plenius satisfaciet, quia generaliter loquitur de omnibus parallelogrammis æquiangulis, hæc specialiter de rectangulis, quæ planis numeris explicantur. Tamen si utramque omisimus, quia nullus usus nobis appareret. si quis in sine emolumentum uspiam deprehenderit, communicato.

*6 p 8* Causam ostendit de continuis inter se dividuis, quod antecedens consequentem non metiatur, de disjunctis non item. Demonstratio Theonis hic nō est admodum obscura, præpostera tamen est per æquationem.

*7 p 8* est syllogistica assumptio & complexio præcedentis. Totus autem syllogismus connexus secundi modi sic est. Si primus non dividat secundum, nec ullus ullum dividet. Ergo si ullus ullum dividat, ut primus extremum, primus etiam secundū dividet. Hic tamen Theon nullū syllogismum videt. Præcedens autē negata est: quod in arte nihil docet: Melius verò affirmaretur hoc modo. Si continuorū primus dividerit secundum, & antecedens quisque dividet consequentem alium, & si hoc, illud, ut nos etiam in arithmetica proposuimus.

*8 p 8* causam